

157.

Schiffen.

his.





V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,  
philos. u. jurist. Inhalts.  
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.





37  
Σὺν Θεῶ.

DE

# LEGE CIVILI

DISPUTATIO PRIMA,

QVAM

Auctoritate & indultu Amplissimi Sena-  
tūs Philosophici,

IN ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

M. PETRO MVSÆO

Longoprat. Thuringo,

*publico examini subiicit*

CASPARVS MVSEOLF

Brunsuicensis.

IN NOVO IVLEO MAIORI

HORIS CONSVETIS

*IX. Id. Novembr.*



HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI,

ANNO MDCCXLVII.





*VIRIS*

*Nobilissimo, Amplissimis & Consultissimis,*  
DN. IOHANNI CAMMANNO, I.V.D.  
& inclytæ Reipubl. Brunsvicensis Syn-  
dico Primario.

DN. ARNOLDO Saur/  
DN. IOHANNI Schmalian/  
Vtrique ejusdem Reip. Consuli  
Meritissimo.

*VT ET*

*Perquam Reverendis & Clarissimis Viris,*  
DN. IOHANNI GROTEIAN,  
DN. M. BALTHASARI CELLARIO,  
Ad S. Vlrici Pastoribus Vigilantis-  
simis.

*NEC NON*

*Consultissimo, Prudentissimis, Spectatissimisq̃*  
*Viris,*

DN. HENNINGO Warten / Ejusdem  
Reip. Camerario Meritissimo, & Vlricanæ ædis Cura-  
tori, cæterisq̃; Provisoribus Fidelissimis.

*Dominis & Patronis suis pl. observandis,*

*Philosophicum hoc γύμνασιον*

*In debitæ gratitudinis τεμνήσειον, & sui, suorumq̃ studio-  
rum ulteriolem commendationem*

*D. D. D.*

*CAENAPUS MYSEOLF.*





Vemadmodum civile appellamus, quicquid civibus inter se commune est: ita & leges civiles, hujus appellationis vim si spectes, dici possunt, quotquot in civitate valent, & obsequium à subditis exposcunt. Non autem nomen tantum tam laxa interpretatio bene congruit, sed nec abit ab usu prorsus aliena.

Præterquam enim quòd hodieque frequentari eam videas, Aristoteles quoq; ibi ubi in Ethicis de jure civili agit, suo pte calculo comprobat. Civile enim appellat omne jus, quod inter socios civitatis ratum est & firmum, seu quod, quemadmodum ipse loqui amat, *inter homines liberos & æquales, communitate & societate vite inter se coniunctos*, ne adscribamus cætera, quæ in descriptione adduntur, intercedit. Quod licet de jure civili sit dictum, nihil tamen interest, juris an legis civilis appellationem tam latè porrigi dicas, quando quidem unam pro altera promiscuè usurpari, usus quemque docet.

II. Quando itaq; duplex est jus, cui in civitate relinquere locum oportet, naturale & legitimum: utrumq; eo nomine, quòd in civitate valeat, Civile appellari exposcit. Vnde Aristoteles utrumque juri civili, quasi partes toti, aut species generi accenset, ceu ex sectione juris Civilis apud ipsum conspici datâ patescit. Ad eundem modum lex civilis, si æquè latè permittatur extendi, leges tam naturales quàm positivas suo comprehendit ambitu, inque eas tanquam partes & species secari non renuit. Vtræque enim in civitate vim exerunt suam. Quod rursus agnoscit Philosophus, cum omnes leges in civitate receptas, servarique solitas ad legem communem & propriam contrahit, illâ legem naturalem; hac positivam indigitare existimandus, ceu subjunctæ utrique descriptiones subindicant. Communem enim appellat, *quæ secundum naturam est, & non scripta apud omnes constare videtur*: propriam; *quæ*

*singulis, qui in civitate sunt, ad se invicem est definita, & secundum*

A 2

quam

Lib. 7.  
Eth. c. 2.

Lib. 1.  
Rhet. c. 2.  
XIII.





*quam scriptam civiliter agunt.* Hisce autem verbis positivam legem, illis naturalem describi, nemo non intelligit.

III. Quoniam verò id, quod civitatis proprium est, ei que quã tali suum debet valorem; strictiore significato, & urgentiore causã civile appellatur, quam quavis alia res, quæ quidem ad civitatem spectat, ejus tamen propria non est, neque ab illa, sed aliunde suum sibi esse acquirit: hinc leges positivæ cum sint propriæ civitatis leges, suo quodam peculiari jure civiles dici merentur. Sicut enim à civitate unovè aut pluribus vicem ejus gerentibus præscriptæ sunt, ita non latius, quàm civitas patet, vim suam extendunt, nisi quoque in alia republica eas recipi videas, quod quodocunq̃ue fit, per accidens fieri censendum est. Secus comparatæ sunt leges naturales, quippe quæ non tantum nullius civitatis propriæ sunt, cum uni æquè ac alteri curæ esse debeant, si facta tectaque sit conservanda Respublica: sed nec ulli civitati suos debent natales, quandoquidem in lumine nascuntur naturæ, quo qui à civitate alieni sunt, non minùs, quàm socij ejus, valent. Omnes itaque homines, quosquos sive intra sive extra civitatem degere juvat; parili seu æquè efficace vi constringunt, consentiente Philosopho, cujus hæc sunt verba: *Est quoddam, quod augurantur omnes, naturã commune iustum, & iniustum, etiamsi nulla societas invicem sit, nullaq; pactio.* Ex quibus intelligitur, si leges civiles strictiore significato dicantur, quæ alicujus civitatis propriæ sint, excludi ab harum ambitu leges naturales.

IV. Nobis de lege civili, ne quem lateat instituti ratio, nonnulla explicare conaturis, hac appellatione non veniunt quæque leges, quibus qui in civitate sunt, parent; sed leges positivæ, quæ à naturalibus segregatæ sunt & civitatis propriæ. Quales dari, notius est, quàm ut hîc probari sit opus: quandoquidem in confesso est, non omnia legibus naturalibus comprehendi, quibus homines in societatem congregati ad felicitatem naturalem, ceu scopum sibi præfixum, pertingere possint. Quantò tamen minùs in probandã earum existentia desudare necessum habemus: tantò plus tum operæ,

Libr. I.  
Rhet. c.  
XIII.

Libr. I.  
Rhet. c.  
XIII.



ra, tùm chartæ require videtur explicatio τὸ πῶς εἶναι, h. e. ejus, in quo quidditas & essentia legum civilium consistit. Cui tractationi ut manum nunc admoveamus, primordia à genere non injuriâ ducimus.

V. In generico legis conceptu explicando mirum quantum à se invicem dissident Auctores: quorum discrepantes opiniones sigillatim recensere, prolixius forrasse sit, quàm præsentì dissertationi conveniat. Non possumus tamen non meminisse eorum, quæ nonnullis legem mensuram vel imaginem justorum esse statuentibus alicubi opponit Philosophus: *Nec enim, inquit, similitudo est, cuius ratione lex sit mensura, vel imago: nec propriè dici solet. Quare si legē dicat propriè mensuram vel imaginem esse, mentitur: quandoquidem imago est, quæ per imitationem efficitur: quod in lege non reperitur. Quod si non propriè, patet, eum obscure locutum esse, ac deterius quovis eorum, quæ per translationem dicuntur.*

Lib. VI.  
Top. c. II.

VI. Gerson, quem sequitur Gabriel Biel, omnem legem per signum definit. Cujus rei ut aliquam reddat rationem, datâ legis divinæ definitione, hunc in modum se explicat: *Dicitur hic & infra, signum notificativum, quoniam propriè nulla lex obligat, liberum arbitrium, si notificata non fuerit. Hoc autem signum triplex est, quoddam mentale, quoddam vocale, quoddam scriptum, sicut est lex scripta, prolata, indita, literalis, vocalis, mentalis.*

Gerson de  
potest. Ec-  
cles. confi-  
der. XIII.

VII. Legem formaliter esse signum, quod superioris voluntatem inferiori denunciet, vero per quàm est simile. Latior tamen signi conceptus est, quàm ut legis genus constitui rectè possit, quandoquidem Substantiam & accidens transcendit. Cùm enim signum nominatur, concipimus *Ens*, quod potentie cognoscenti aliquid representat. *Ens*, inquam, concipimus, non *substantiam*, cùm & *qualitas*; neque hanc, cùm & *quantitas* signi rationem habere queat. Hinc cùm legem dicis esse signum, non exprimis, ad quod Entis genus pertineat: quod tamen in definitionibus, quoad ejus fieri potest, cumprimis exprimi oportet. Limâ igitur accuratiore adhibitâ, signum exulabit à definitione legis, quòd ex numero sit transcendentium, quæ in definitionibus adsumi Aristoteles vetat;

Lib. IV.  
Top. c. VI.



eiusque locum ipsa res occupabit, quæ si lex signum est, signi rationem in ea obtinet.

IIX. Quoniam autem lex non aliâ ratione signum esse potest, quàm quatenus agenda vel fugienda repræsented, ut quid debitum quidvè illicitum sit, exinde innotescat: hinc sicuti non uno modo se habent, quæ debita vel illicita sunt, ita nec idem signum omnibus est adaptatum, unde primùm nota fieri incipiunt. Signum quarundam rerum intellectui à natura est insitum, quod aliàs lumen naturæ & rationis appellamus. Prius tamen aliquandiu constitutum in mera potentia est, quàm exserere se cœperit. Ab ipso enim ortu nihil actu repræsented, adeoque nullius rei signum est, cum instar tabulæ sit rasæ, cui nihil inscriptum: progressu autem temporis, ubi à sensibus externis, mediante phantasiâ, species recipit, nullâ alia interveniente potentiâ, in actum erumpit, atque elicitio iudicij actu ea repræsented, quæ signo ad placitum significante nemo prius indicavit & docuit. Quoniam autem inter lumen intellectus & objectum solâ ejus virtute cognoscendum debet esse proportio, ea lumine naturali nota esse sciendum est, quæ ex seipsis tantam spondent evidentiam, ut cum intellectui obijciuntur, terminis duntaxat rectè apprehensis, non possint non talia cognosci, qualia sunt suapte naturâ, aut quæ licet per discursum demum intellectui se insinuent, necessariâ tamen & evidenti consequentiâ, ita ut omnis absit oppositi formido, ex principijs per se notis erui possunt. Hac indole nata sunt non tantum multa, quorum theoretica est veritas: sed & quæ in actionem veniunt, quando suapte quidem naturâ debita sunt vel illicita. Quibus quippè cognoscendis adeò par est intellectus lumen, ut qualia sunt ex natura sua, talia etiam, formato dictamine, modò impedimenta absint, rectè repræsented, etiam si sit nemo, qui signo aliquo ad placitum significante adhibito, sint né debita an illicita, ullatenus significet. Cujusmodi sunt: Bonum esse prosequendum, malum fugiendû, Deum colendum, Neminem lædendum, Suum cuique tribuendum &c. Circa hæc itaque & alia id genus omnia, quia lex  
verfa-

Lib. III. de  
anima t. 14



versatur naturæ, ceu nunc supponimus, inferiùs in transcurso explicatiùs ostensuri: patet profectò, si lex naturalis signum est, non esse aliud, quàm quod ex ipso lumine naturali confurgit, dictamen scilicet naturalis rationis. Quod rectè & propriissimè signum dici, ne cui dubium sit, scholæ docent Philosophicæ. Licet enim non mediante sui cognitione intellectum faciat venire in alterius notitiam: rem tamen sibi subjectam representat, ut ipsa cognoscendi ratio, unde formale signum in scholis appellatur, quemadmodum quod altero modo se habet, materiale dixit Mendoza.

IX. Si quis fortè hîc urgeat, omnem legem eatenus esse signum, quatenus superioris voluntatem inferiori denunciat: hunc conceptum in legem quoque naturalem quadamtenus competere largimur. Quicquid enim lex naturalis ut debitum vel illicitum proponit, id Deus naturæ auctor juxta tenorem æternæ legis fieri vel omitti debere decrevit, atque ut innotescat, quicquid ejusmodi est, hunc in finem lumen intellectui nostro inesse censendus est. Hunc in modum legem naturalem explicat Gerson, cum dicit esse *signum naturaliter habitum notificativum rectæ rationis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum, vel non agendum pro consecutione finis sui naturalis, qui est felicitas humana.*

De potest.  
Eccles.  
consider.  
xiii.

X. Alia dubio procul est legis positivæ, quàm naturalis, ratio. Quod enim illâ sancitum est, non suapte naturâ, quemadmodum legis naturalis objectum, debitum vel illicitum est. Vnde cum intellectui obijcitur, neq; debitum neq; illicitum esse cognoscitur, nisi quis fuerit, qui signo ad placitum significante adhibito, sitne agendum an fugiendum, indicaverit. Ex quo conficitur, si lex civilis signum est, non esse dictamè naturalis rationis, sed signum ab hominibus institutum. Quod, quin sit oratio, dubitari minimè oportet. Neque Aristoteles, cum legem dicit esse λόγον, hac voce aliud quid, quàm orationem, indigitasse præsumitur.

Lib. x.  
Eth. c. ult.

XI. Velimus autem imprimis illam intelligas orationem, quæ in solenni legis promulgatione adhiberi solet. Vbi nec:

lib. x. v. 1.



nec id diffitemur, in locum orationis aliud signum, quod idem præstet, suffici posse, scripturam nimirum oculis eorum expositam, qui literarum significationem non ignorant, utpotè cum Magistratus legem non vivâ voce, sed literis publicè affixis edicendam curat. Quin imò tum etiam, cum lex vivâ voce promulgatur, non tantum utilitas suadet, literis insuper ut consignetur ea, sed & necessitas aliquando exigente si verba legis exciderint memoriâ, desit, unde recuperari possint, nevé judices, si nulla extet scriptura, ad quam adstricti sint, verba legis sensim immutent: quorum utrumque, præsertim si magna legum sit copia, contingere non ἀδύνατον. Nemo tamen, credimus, illorum accesserit sententiæ, qui scripturam adeò requiri ad legem statuunt, ut si absit, aliquid in essentiâ legis desiderari possit. Esto enim, legem aliquam positivam literis nunquam mandari: veram tamen esse legem, hoc ipso, quod vivâ voce promulgata sit, res loquitur ipsa. Quid? quod nationes nonnullas rudes & barbaras artificij literarum exarandarum ignaras fuisse, testantur historiæ: nec inter nos, à quibus exulavit ista ignorantia, pauci sunt, qui literarum legendarum peritiâ destituti, earum ignorant vim & significationem. Quibus cum lex est promulganda, vix aliud signum facit satiùs, quàm oratio.

XII. Atque huic sententiæ quæ obstare videri possint, tanti non sunt, quin ratio, quâ destruantur, cuius sedulo ponderanti facilè occurrat. Primum id certum est, cum dicimus, legem aliquam esse servandam; non hoc à nobis insinuari, quod oratio sit servanda, ut est signum. Inde tamen haudquam efficitur, legem non esse orationem. Nam quod in omni signo vocali contingit, ut eo prolato intellectu concipiat rem significatam; idem fit, cum leges recitantur, & servari jubentur, ut res legibus comprehensæ intelligendæ veniant.

XIII. Deinceps nec id nescimus, ubi leges recitatæ fuerint, ita ut memoriæ imprimi possint, non amplius opus esse oratione, cum receptæ species intellectui idem, quod oratio, repræsentare queant. Verum quia primum signum est oratio, hoc tuendæ nostræ sententiæ prorsus sufficit.

XIV. Quid?



XIV. Quid? si dicas, legem prius esse in mente legislatoris, quam oratio adhibeatur, quâ in notitiam hominum veniat: hinc orationem non videri ad essentiam requiri legis positivæ. At nemo ignorat, legem esse instrumentum obligandis ad aliquid agendum vel omittendum subditis à Majestate destinatum. Constat quoque nihil prius instrumentum dici, quam finem præstare suum possit: quando quidem ferra ex ligno confecta non est sectionis; & demonstratio in mente reservata non est docendi aut scientiæ in animo alterius gignendæ instrumentum. Quæritur igitur, an lex, cum adhuc est in mente legislatoris, necdum vlllo signo subditis innotuit, par sit faciendo legis operi, hoc est, an obligare subditos possit. Quod si negatur, sicuti veritate compellente non potest non negari, legi adhuc deesse aliquid, quod ad eius essentiam pertineat, consequens utique fuerit. Hinc rectè scribit Ludovicus Molina: *Quò fit, ut promulgatio, de qua nobis hoc loco est sermo, non sit solum conditio, sine qua lex non obligat, sicut applicatio ignis ad stupam est conditio, sine qua vis ignis naturalis, quam iam ignis ante eam applicationem integram in se habet, stupam non inflammabit, sed sit quippiam legis completivum, atq; adeò completivum vis seu virtutis legis ad subditos obligandum.*

De Iust. &  
Iur. rom.  
vi. tract. 7.  
disp. 70.

XV. Cæterum cum plures sint orationum differentiæ, nec id quidem ignorandum est, qualis ea sit oratio, quam legem civilem esse oportet. Esse autem imperativam, eò minus dubium nobis accidit, quò certius persuasum est, omnem legem aut præcipiendo aut vetando munus obire suum. Quod cave hoc sensu accipias, ac si omnis lex expressis verbis præcipiat aliquid vel prohibeat. Hoc enim neque nos volumus, neque cum experientia aliud doceat, tueri valemus. Ne verò multa conquiramus exempla, earum nobis legum in mentem nunc venit, quæ aliquid impunè fieri permittunt. Agnoscimus profectò & profitemur, si expressa verba imperium significantia desideres, illis legibus nihil præcipi, nihil vetari. Veremur autem, ne, si spectes, quæ permissionis vis sit & ratio, virtute tamen imperium implicent, in quod, mutatis quidem verbis, at sensu non mutato, sicubi opus est, nullo negotio

B

tio





tio commutari possint. Nimirum quicquid impunè fieri permittunt, dum ita permittunt, annon tacitè vetant punitio- nem, cui qui facinus patrat, aliàs obnoxius esset? Exemplum desideranti, ex jure veteri ante oculos ponimus legem, quã domino permissum fuisse dicimus, ut servum suum inter- ficeret. Quod non nostrò, sed vel omnium judicio, nihil a- liud est, quàm lege cautum fuisse, ne si quis dominus servum suum occidisset, idcirco vicissim capite plecteretur, aliãve pœnã afficeretur. Quã expositione admissã, lex profectò, dum ejusmodi factum permittit, tacitè vetat aliud quid, ve- tat nimirum domino servum suum occidenti pœnam infligi. Hinc oratio consurgit imperativa, non quidem ad eum, qui facinus patrat: huic enim tantùm significat, impunè id posse patrari; at verò directã ad judicem, cui quippè imperat, ne homini tale quid committenti pœnam decernat. In quo, nisi fallimur admodùm, nulla est dubitatio. Idem enim in legibus punitioem vetantibus contingit, quod in plerisque alijs, quæ eam jubent: nimirum ut imperantis voluntatem imprimis ad judicem deferant, quem quippe pœnis in male- ficos statuendis præpositum esse constat. Quo pacto igitur leges aliquid impunè fieri permittentes, ad orationes impe- rativas reduci, inque ordinem legum alicujus facti punitio- nem vetantium adscribi possint, de eo pauca hîc pro instituti- ratione annotâsse sufficiat.

XVI. At enim orationes reperias, quæ eum nullo verbo imperium significante constant, neque virtute impe- rium implicent; nihilo tamen minùs vim legis obtineant: quod qui nonnulla prudentum responsa, loco legum ab om- nibus æstimanda, intuentur, nobis vel nihil monenti- bus, norunt. An dicendum, orationem imperativam, ex qua vim obligandi ijs inesse constat, summatim à Majestate factã supponi? Neque enim aliunde vim obligandi habent, quàm

De Just. & quia Majestas aliquando significavit, velle se, ut eodem, quo  
 Iure tom. leges, habeantur loco. Hinc Ludovicus Molina scribit:  
 vi. tract. v. *Instituti de Iure naturali, gentium & civili per multos paragra-  
 disp. 46. explicantur diversa civilia iura, partim à plebe, partim à senatu, va-  
 riis*



riis temporibus lata, itemq; alia à Jurisconsultis imperatoris auctoritate  
& dispositione lata: quæ vim legis non ex eo præcisè habebant, quòd  
responsa eorum Jurisconsultorum essent, sed quòd imperatores vellent,  
& ut leges servari, illisq; in iudicando stari. Hanc autem Majesta-  
tis voluntatem oportuit oratione imperativâ expressam da-  
ri, quæ licet ipsis prudentium responsis non sit annexa, est ta-  
men supponenda tanquam primum signum, ex quo vis obli-  
gandi eorum innotuit.

XVII. Varijs autem modis imperium efferri videas.  
Interdum usurpantur hæc ipsa verba: *Præcipio, iubeo, veto, pro-  
hibeo, volo, nolo*; & quæ his æquivalent. Quibus omis-  
sis, nisi aliunde aliud constet, imperium aliàs insinuant verba impe-  
rativo aliòve æquivalente modo & tempore declinata, ut  
*hoc facite, ab illo abstinete, hoc agant omnes, id nemini liceat*. Im-  
primis autem in legibus duodecim tabularum utramque ferè  
paginam faciunt verba hunc in modum flexa: *faciunto, absti-  
nento, pœnâ afficiuntor*. Aliàs necessitatem quoque important  
participia passiva futuri temporis, quatenus participiorum  
vim habent, utpote cùm ea, quæ naturalis dicitur ratio, effe-  
runtur hunc in modum: *Deus est colendus, parentes sint hono-  
randi, furtum est fugiendum*. Idem loquendi modus an aliquan-  
do tùm obtineat, cùm leges positivæ promulgantur, usu ma-  
gistro disci dabitur & observari. Interea de vi & significatio-  
ne horum participiorum audiatur Dominicus de Soto, cùm  
inquit *Hæc verba si vim nominis habeant, puta dignû est, ut fiat, factu-  
vè indignû, speculative propositiones sunt, & nondû vim legis obtinent.*  
*Dû vero vim habent participii futuri, tunc censentur dictamina practi-  
ca, & si sint in principe, promulgenturq; populo, tunc leges existunt.*  
Si quæ plura hîc monenda erant, ea, ut verborû fiat compen-  
dium, sunt ad discursum reservata. Constat interim ex dictis,  
leges civiles nõ uno prorsù modo esse orationes imperativas.

XVIII. Investigato genere, venimus ad objecta, in  
quibus explicandis eò quidem oportet occupari attentius,  
quò plus inde lucis & momenti accedit ad leges civiles à na-  
turalibus dijudicandas & discernendas. Discrimen igitur si  
cui minùs perspicuum est, quò ex objectis id eluceat clariùs,

De Iust. &  
Iure l. 1. q.  
1. art. 10.





Quo agendorum & fugiendorum genera hinc annotabimus, tantò commiscenda minùs, quantò diversa magis eorum est conditio. Atque in uno quidem genere nobis illa se offerunt, quæ alterutram in partem determinavit ipsa rerum natura, quædam jubendo, alia vetando fieri. Nonnullis enim eam vim indidit, per quam non possint non esse debita, ut non abs re, si improprie loqui liceat, dicantur à natura juberi. Contra à quibus natura rerum prorsus abhorret, ea non tantum non jussit, sed & vetuit, ut nemine aliàs prohibente, non possint non esse illicita. Hinc si quis naturæ non vereatur adversari; violando ejus legem, sine dubio gravem admittit culpam, pro qua Auctori naturæ pœnam jure merito debet. Neque ullum est dubium, quia quæ suapte naturâ debita vel illicita sunt, lumine naturali innotescant, in quo quippe, si ijs standum est, quæ proximè de signis dicebamus, tam clarè relucet, ut à nemine ignorari possint, nisi qui vel pravâ consuetudine, vel aliunde excæcatus, mente vehementer laboret. Quæ cum ita sint, ab objectis legum civilium arceri oportet omnia, quæ natura jussit aut vetuit. Urgeri quidem à magistratu civili & possunt & debent, ut quemadmodum natura jussit aut vetuit, sic agantur aut fugiantur: præsertim cum multi hominum adeò perfrixtæ sint frontis, ut quæ naturæ debent, non nisi coacti persolvant. At arbitrato humani committi, aliterque quam natura fundavit, definiri; aut licet ita linquantur, ut sunt beneficio naturæ, humanis saltem institutis, pro quibus nonnulli venditare voluerunt, accenseri renuunt. Hinc Philosophus in jure naturali describendo occupatus, cum id esse scribit, *quod ubique eandem vim habet; signanter addit: & non quia videtur ita, vel non videtur.* Quibus ultimis verbis expressè cautum ab ipso est, ne quæ ad jus naturale spectant, ideò existimentur esse debita vel illicita, quasi arbitrio & opinione hominum sic decreta sint & instituta.

Lib. v. Eth.  
cap. x.

XIX. Hisce ab objecto legum civilium exulare jussis, in altero genere ea superant, de quibus alterutram in partem nihil natura determinavit. Neque dubitare subit, quin quæ ita se habent, humano arbitrato & judicio sint rectè commissa;



missa, ut humanis institutis, non repugnante naturâ, huc & illuc flecti, juberi & vetari possint, quoad circumstantiæ pro re nata exigunt aut suadent. Nec injuriâ huc illa referuntur, de quibus, utrum animadverti, an impunè ferri; utrum gravioris, an mitioris poenæ sub comminatione vetari in Republica debeant, deliberandi & alterutram in partem sciendi liberam potestatem ipsis quoque mortalibus natura permisit. Quicquid igitur rerum dicto modo se habentium lege aliquâ ad civitatem pertinente sancitum est, id legis non naturalis, sed positivæ, & illius quidem civilis objectum censi oportet, utpote quod non suapte naturâ debitum vel illicitum est, sed aliunde necessitatem trahit suam, à principio scilicet externo, quod quale sit, inferiùs suo loco declaratum videas.

XX. Duplicem autem considerationem legum civilium objecta admittunt: unam, qua secundum se, utvé sibi relicta; alteram, qua quoad formale, puta ut legum civilium objecta sunt, spectari possunt. Secundum se spectata non aliâ præ se faciem ferunt, quàm quâ jam tum descripta exhibuimus. Vno nomine *indifferentia* dici possunt: hoc enim ipso, quod liberè determinari, juberi & vetari, puniri & impunè fieri, hæc & aliâ poenâ emendari permittuntur, indifferenter se habent ad opposita. Nec dissentit hîc Philosophus. Vbi enim jus legitimum definit, sub quo & jus civile, legibus scilicet civilibus strictè sic dictis definitum, comprehendi liquet: expressè scribit esse id, quod à principio ( hoc est, priusquam lege sit sancitum ) *utrum sic an aliter fiat, nihil refert.* Declarat & sequentibus exemplis: *minâ captivos redimi: Diis sacrificandi animo capram mactare, non duas oves.* Quæ sanè perquam appositè huc accommodantur. Etenim pretium, quo redimendi veniunt captivi, si secundum se spectetur, utrum mina sit, an aliud, quid refert? Et quod gentiles sacrificij faciendi animo mactabant animal, humanam si secludamus constitutionem, quid intererat, capra esset, an duæ oves? Quando autem indifferentia legum civilium objecta esse cum Philosopho adserimus, non omnia promiscuè, sed ea præcisè

In Eth. loc. cit.



intelligimus, de quibus alterutram in partem aliquid determinari, societati expedit civili, prout ad felicitatem naturalem, tanquam ad finem sibi propositum adspirat. Hinc licet Ecclesiasticæ & multæ quoque divinæ leges de rebus indifferentibus sint sancitæ, à civilibus tamen hoc ipso segregantur, quòd non ad naturalem felicitatem, sed ad finem eà superiorem præscriptæ sunt & collineant. Sed de fine alibi ex professo erit agendum.

XXI. Quoniam verò nihil tam necessarium est, quin quadamtenus, & nisi potiori parte, minimum quoad circumstantiam aliquam indifferens esse possit: hinc multa, quæ per se necessaria sunt, legum civilium objecta fiunt, non tamen quatenus necessaria sunt, sed quatenus ad speciem actus vel objecti, aut ad unam atque alteram circumstantiam indifferenter se habent. Exempla ne cui desint, spectentur leges de furibus suspendio plectendis, de quæ captivis minâ redimendis. Utræque non nisi eatenus objectum indifferens sibi vendicant, quatenus quod lex superior generaliter dicat, ad certam speciem; hæc quidem pretium redimendorum captivorum ad minam, illa verò pœnam furti ad suspendium; contrahunt. Quam determinationem si auferas, quæ remanent, adhuc debita sunt, nec in indifferentium classem adscribi possunt, puta quòd captivi sint redimendi, quòd fures sint plectendi.

XXII. Quæ quò pateant clariùs, distinctionem inter objectum per se & per accidens, scholis aliàs Philosophicis usitatissimam, quid vetat, etiam hîc adhiberi? Id enim, *quod utrum sic, an aliter se habeat, per se nihil refert*; objectum per se legis alicujus civilis rectè appellabitur. Quod autem *indifferens non est, connexionem tamen cum ea re habet, quam ut indifferentem lex desinit*, id legis hujus objectum per accidens esse, nemini nisi qui termini usum ignorat, ignotum est. Ut verò objectum per se ab eo, quod per accidens ita appellamus, rectè detur separari: duo in quovis actu sunt attendenda, substantia nimirum actûs, non neglecto discrimine inter genus & speciem ejus; & quæ actum circumstant. Hæc, quantum ad  
neces-



necessitatem & indifferentiam attinet, in multis actibus lege sancitis differunt. Alius enim est actus necessarius quoad genus substantiæ suæ, ut tamen sit indifferens quoad speciem. Cujusmodi est, ut repetamus exemplum proximè adscriptum; punitio furis ad suspendium, tanquam ad pœnæ speciem, determinata: punitio enim ibi necessaria est, & species ejus indifferens. Alius verò quoad substantiam est simpliciter necessarius, in quo non alia generis, alia speciei ratio apparet: ad particulares tamen sive materiæ sive circumstantiarum conditiones indifferenter se habet: verbi gratia, Deum colere, est necessarium simpliciter: circumstantias tamen temporis & loci indifferenter hîc determinari, nemo non intelligit. Horum igitur & similium actuum quisquis lege aliquâ positivâ fuerit sancitus, objectum ejus partim per se, partim per accidens esse, ex antè dictis liquet: per se quidem, si id, ratione cujus est indifferens, & in quo liberam legislatoris determinationem subijt; per accidens autem, si alterum spectes, vi cujus aliàs, seclusâ omni lege positivâ, necessitatem habet. Alij eo ex capite, quòd una eademque lex actum aliquatenus necessarium, aliquatenus indifferentem jubet; constituunt legem mixtam, à potiori tamen seu prædominanti denominandam. Plures ne adducamus, audire hac super re lubet Gersonem, ita inquentem: *Quamvis pauca reperiantur leges, quin mixtae sint ex participatione diversarum: nihilominus denominatur lex à prædominanti seu à principali, quod in ea reperitur.* Quod postmodum repetens, *pauçissimas inveniri leges ait, quæ non se mutuò participant.* Addit tamen: *sed ratio distinguit eas & secernit.* Si quis verò occurrat actus, qui non quoad circumstantias modò, sed & quoad substantiam sit simpliciter indifferens; isque lege aliquâ sanciri mereatur: non aliquatenus tantum, sed secundum se totum, quantum quantum lege determinatur, objectum ejus per se esse autumamus.

XXIII. Verum enimverò legum civilium objecta, quorum benè multa sunt, conspicanti sigillatim, in ijs occurrerint actus non pauci, qui non tantum quoad substantiam per se necessarij esse, sed & cæterà quoque nullam prorsus indiffe-

De potest.  
Eccl. loc.  
cit.





Lib. v. Eth.  
c. v. c. lli.

differentiam præ se ferre videantur. Sub iudicium nunc vo-  
camus virtutum juxta ac vitiorum actus, quos & ipsos nume-  
rò non exiguò legum civilium objecta esse, quo minus audea-  
mus inficiari, obstat communis Auctorum sententia, à quâ  
nec alienior videri Philosophus possit, cujus verba si cui le-  
gere volupe sit, adscribere non pigramur: *Pleraq; legitima  
ea ferè sunt, quæ ex integrâ ac totâ virtute præcipiuntur: nam lex se-  
cundum unamquamq; virtutem vivere iubet, secundum unumquodq;  
vitium prohibet. Quin etiam lex præcipit & id, quod fortis viri opus  
est, ut non deserere ordines, non fugere, non abiicere arma, & id quod  
est temperantis, ut non committere adulterium, non contumeliosè se  
gerere, & id quod est mansueti, ut non verberare, non maledicere.  
Simili modo quoq; secundum alias virtutes & vitia, alia iubet, alia  
prohibet.* Quibus verbis Aristoteles legibus in civitate servan-  
dis ea adjudicat objecta, quæ nullatenus indifferentia esse  
videntur.

XXIV. Dubij nervum priusquam incidamus, præ-  
tereundo memoriam remittimus in tractationis primordia:  
ubi cum exponeremus, quàm latè aliquando lex civilis ex-  
tendatur, latiore hunc significatum etiam ab Aristotele,  
quando legum in civitate vim habentium facit mentionem,  
nonnunquam insinuari annotavimus. Exfertè autem eo in  
loco, unde verba antè citata accersivimus, quando leges ab  
objectis Philosophus describit; non injuriâ dubitari possit,  
num de legibus civilibus strictè sic dictis loquatur: & eò ma-  
gis; quòd jura legitima seu legibus comprehensa ibi appellat,  
*quæcunque felicitatem, eiusque partes in societate civili efficiunt & con-  
servant.* A quibus tantum abest, ut excludi possint, quæ ad  
jus naturale pertinent, ut ubi hæc expirant aut vilescunt, be-  
andæ diuq; conservandæ Reipublicæ spes ne ulla quidem  
adfulgeat.

XXV. Quicquid autem sit de mente Philosophi, venit  
id nunc in disceptationem, an & quomodo nonnulli virtu-  
tum & vitiorum actus possint esse legum civilium objecta, ne  
extra limites, intra quos sese continere debent istæ leges, vi-  
deantur longius evagari. Ad actus virtutum quod attinet, si  
magna;



magnanimitatem, magnificentiam, & urbanitatem intueamur, non abs re ambigimus, annon multos harum virtutum actus natura suadeat potius, quam jubeat: quos quippè qui omittunt, hoc ipso non videntur legem violare naturæ, neq; ut hujus transgressores, pœnam mereri. Fortassis autem non tam de hisce nunc actibus quæstio est, quam de alijs, quos natura videtur jussisse, non cujusvis arbitrato commisisse. Verbi gratiâ: temperanter vivere, minimè arbitrarium est, sed necessarium: modum enim servare in appetendis voluptatibus corporis, rectamque sequi rationem, non tantùm suadet natura, sed jussit. Hinc qui secus agit, sine dubio adversatur naturæ, ut legis ejus transgressor jure merito audiat. De alijs actibus, qui in aliarum virtutum materia occurrunt, tulerit quis idem judicium.

XXVI. Cæterum meminisse oportet, cum nominatur actus virtutis, intellectum nostrum distrahi posse diversos in conceptus. Primum actus virtutis is dicitur, qui à virtute tanquam ab habitu proficiscitur, nec nisi ab eo efficitur, qui ex scientia, electione, & constanti atq; immutabili adfectu, quæ quippè habitus requisita sunt, agit. Deinde hac appellatione venit quilibet actus, qui quoad substantiâ bonus est, & talis, qualem aliâs virtus efficit, sive etiam ex habitu virtutis, sive ex voluntate malè adfectâ prodeat. Quod discrimen ideò annotari oportuit, ne quando leges civiles actus virtutum præscribunt, operationem ex habitu exigere existimentur. Cum enim actus quoad substantiam boni, & disciplinæ gratiâ sanciti, Reipublicæ conservandæ sufficiant: nihil profectò ad scopum à legislatore intentum intererit, ex habitu, an aliâ impellente causâ bonis actibus operam quis navet, modò quos exercet actus, quoad substantiam bonos, & legibus conformes efficiat. Quanquam experientia docet, cum leges ad actus quoad substantiam bonos impellunt, multos hinc diurnâ consuetudine adduci, ut honestatem amore prosequantur, ipsosque virtutum moralium habitus reapse tandem acquirant. Vnde Aristoteles leges censet esse virtutum effectrices, cum scribit: *Effectricia totius virtutis ea*

C

sunt

Lib. II. Eth.  
c. III.

Lib. V.  
Eth. c. V.





*sunt legitima, quæ ad publicam disciplinam sancita sunt.*

XXVII. Præterea multum interest, in universali an in particulari actum virtutis consideres. Actum in universali consideratum appellamus, qui non est ipsò exercitiò contractus ad particulares materiæ & circumstantiarum differentias, sed intra universales earum rationes beneficio intellectus subsistit. Cujusmodi est, verbi gratiâ, actus liberalitatis, hunc in modum conceptus & expressus: *Liberaliter exhibere beneficia.* Nihil hoc aliud est, quàm *dare, quibus, quantum, quando, quomodo, & cuius gratiâ decet*: Vbi licet involvantur circumstantiæ, valdè tamen universales sunt, quæ magnâ varietate ad particulares differentias contrahi possunt. Eadem consideratio in alijs quoq; aliarum virtutum actibus valet, ut sunt: *temperanter vivere, fortiter dimicare, iram moderari &c.* Quin autem hi & id genus alij virtutum actus, in universali si considerentur, sint necessarij suapte naturâ, & à naturali ratione dictati, adeoque non ad civilem, sed naturalem legem pertineant, id verò nullum dubium habet.

XXIIX. Actum porrò virtutis in particulari nuncupamus, quem quisque pro re natâ exercet, ad particulares materiæ & circumstantiarum, si quas attendi oportet, differentias contractum. Qui si est actus justitiæ, in medio reconfistit: Sin alterius cujusdam virtutis actus; medium quo ad nos requirit: ut videre apud Philosophum est. Veremur autè, ne neutra mediocritas arbitraria sit, & legibus committi possit positivis. Priorem enim natura in ipsis fundavit rebus, ut non nisi jus naturæ hîc valeat. Posteriores sua cuique ratio, si recta est, præscribit, per pensis circumstantijs, à quibus suum iudicium, naturâ facem prælucente, suspendit. Sicut autem est diversa hominum conditio: ita aliæ circumstantiæ hunc, aliæ alium decent, quæque unum decent, alium fortè dedecent: imò quod uni *hoc tempore, hoc in loco, hoc modo, hæc in materia, & huius gratiâ* convenit, id mutatis ejusmodi circumstantijs eundem post dedecere videas. Dilucidat hoc Philosophus tali exemplo: *Si cui decem minas comedere multum est, duas parvum: non idcirco sex comedendas alipta præceperit. Nam fortasse*

Lib. 12.  
Eth. 6. 7.



fasse id quoque ei qui sumiturus sit, erit vel nimium, vel parum: Milo-  
ni quidem parum: nimium autem ei, qui exercitationem incipiat.

Omnibus itaque & hoc perspicuum est, medij quoad nos va-  
riationem esse longè majorem, quàm ut certis includi legi-  
bus possit.

XXIX. Atque hætenus institutâ de actibus virtutum  
consideratione, arbitrarium quod sit, inventum in ijs esse ni-  
hil, legum conditores agnoscent. Quicquid autem, ut ad  
rem tandem deveniamus, de illis alterutram in partem deter-  
minant, legisque civilis objectum per se constituunt, id im-  
primis Reipublicæ conservandæ, & disciplinæ in ea stabilien-  
dæ accommodant. Nimirum particulares præscribunt dif-  
ferentias, quibus actum virtutis ad certam speciem, materiã  
vel circumstantias contrahunt, quoad salus poscit Reipubli-  
cæ. Licet autem ejusmodi differentiæ rectè fortassis exigan-  
tur ad actum virtutis, tanquam Reipublicæ accommodatum  
& proficuum; ad virtutis tamen exercitium sunt nequaquam  
necessariæ simpliciter: alioquin enim abesse nunquam pos-  
sent. Posse autem abesse, vel inde constat, quòd natura me-  
diocritatem in virtutis usu servandam rectæ commisit ratio-  
ni, & pro circumstantiarum variatione variatim definiri exi-  
git: tantum abest, ut eam præcisè ad differentias lege præ-  
scriptas adstrinxerit.

XXX. Nescimus itaque, quid sibi velit Franciscus  
Suarez, quando scribit: *Lex positiva habet efficaciam constituen-*  
*di materiam suam in tali specie virtutis, & præscribendi medium ne-*  
*cessarium ad honestatem talis virtutis.* Item: *Postquam illud me-*  
*dium constitutum est, absolute in eo consistit virtus, & ideo ab illo re-*  
*cedere peccatum est.* Sanè medium præcisè sumptum, seu be-  
neficiò intellectus à particularibus differentijs abstractum,  
non tantùm ad virtutem necessarium, sed & id esse, in quo  
illa absolute consistat; nemo nescit, nisi qui formalem virtu-  
tis conceptum minùs sibi perspectum habeat. Medium ta-  
men hoc modò consideratum lex positiva minimè præscri-  
bit, sed lumine naturali notum supponit. Si quod verò præ-  
scribit medium, id particulare est, seu ad particulares diffe-  
renti-

Lib. III de  
leg. cap.  
XXXV.



Lib. III. de  
de leg. cap.  
XII.

Libr. II.  
Eth. c. V.

rentias contractum: de quo, mirum, si adfertum intellexit suum Soarius. Eximio scriptori ne videamur oggannire, sua saltem ipsius verba ei opponimus, quibus crebram medij virtutis variationem agnoscit & inculcat. Redditurus enim causam, quamobrem non omnia, quæ honesta sunt, necessaria sint putanda; ita scribit: *Quia medium virtutis habet latitudinem & varietatem, & ideo non omne id, quod honestum est, est per se necessarium.* Quod cum verissimum sit, unde tandem provenit medium ad honestatem virtutis adeo necessarium, ut in eo absolute virtus consistat? An quia lex jubet humana? Næ illius vis tanta non est, quantam sibi persuasit Soarius. Etsi enim quod suapte naturam necessarium non erat, necessarium fit, jubente lege humanam: nihil tamen inde tantam acquirat necessitatem, ut haberi postulet virtutis medium, omnibus indiscretè & simpliciter accommodatum, tanquam in quo virtus absolute consistat. Hoc enim fieri ne possit, ipsam rerum naturam, virtutis medium varijs mutationibus subjiciente, cautum esse, jam tum vidimus. Ne quid verò dubij sit super, antè concessorum memores non diffitemur: quod alicui certam suppeditatam materiam, virtutisq; exercendæ occasione præbitam, hoc tempore, hoc in loco, hunc in modum, hoc fine convenit, id uno tantum modo rectum esse & honestum, neque quamdiu circumstantiæ tales permaneant, medium esse definiendum aliter, atque illæ naturam prælucente exigunt. Quæ Philosophi dubio procul mens est, cum *peccare multis modis nos posse, conqueritur: rectè autem agere uno tantum modo licere, ait.* At ejusmodi medium, quod cuivis pro suo statu, proque singulis, etiam minimis, circumstantiis sit necessarium, legibus præscribi positivis; næ illud est, quod supra ἀδύνατον pronunciabamus, nec injuriam: Omnia enim legibus comprehendi nequeunt. Quid? quòd leges, si ad tam particularia determinanda se demitterent, non unum, in quo absolute virtus consisteret; sed multa & tantum non innumera præscribere media deberent.

XXXI. Annon verò, inquis, leges humanæ pugnant cum natura, quòd uno duntaxat modo determinant, quæ natura



tura variis mutationibus subiecit? Minimè pugnans, nisi quæ hîc discernenda erant, inter se commisceas. Aliud leges humanæ alterutram in partem determinant: aliud natura unò determinari modò vetat. Leges humanæ particularem benè vivendi rationem præscribunt, disciplinam scilicet Reipublicæ accommodatam: id quod natura minimè vetat. Vetat autem, cùm de universâ benè vivendi ratione agitur, hanc ab una qualicunque determinatione suspendi. In quantum abest, ut humanæ leges adversentur naturæ, ut si publicam excipias disciplinam, quam Reipublicæ convenienter præscribunt; cætera omnia, in quibus virtutis exercendæ offert se occasio, rectæ rationi pro varietate circumstantiarum variè definienda relinquunt. Idem agnoscit & exemplis illustrat Dominicus de Soto, cujus verba, licet benè multa sint, non merentur omitti. *Leges humana non de singulis actionibus singularum virtutum præcipiunt. Itaq; præcipiunt de singularum virtutum aliquibus: non tamen de singulis omnium. Ut si verbi gratiâ dixerimus: in materia fortitudinis præcipit lex humana rempublicam defendere etiam cum mortis periculo: non autem sic defendere amicum: sed hoc relinquit naturæ. In materia temperantiæ præcipit Ecclesia certis diebus ieiunia: non autem in reliquo temporis anno moderatè comedere, quod facit lex naturæ. In materia religionis iubet certos dies divinis dedicare, ac sacris interesse: non autem ad alias cogit orationes liberas. In materia iustitiæ & liberalitatis præcipit in gravi necessitate & parentibus alere filios secundum suum statum & nonnunquam filiis vice versâ parentes. Extra illos autem casus reliqua ad legem naturæ & divinam remittit de honore parentibus defendendo. In summa, lex humana ea duntaxat præcipit officia, quæ ad bonum commune referuntur: vel per se, & proximè, ut ad publicum bellum arma indui: vel mediatè (ut aiunt) ut illa quæ ad bonâ attinent disciplinam, per quam cives ad bonum iustitiæ & pacis instituuntur.*

XXXII. Fortasse tamen & ea, quæ Reipublicæ proficiunt, quatenus ad virtutem pertinent, rectæ rationi, non legibus, committenda esse urgebis? At quæ diversum suadet, non procul accersenda est ratio. Præterquàm enim quòd difficilius est, virtute erga Rempublicam uti, quàm erga sei-

Libr. i. de  
just. & iure  
quæst. vi,  
art. III.





Libr. v.  
Eth. c. III.

psum, docente Philosopho: neminem latet, quanta sit hominum recta ratione utentium infrequentia, & quam ingens eorum copia, qui adfectuum impetu potius, quam amore honestatis ducantur; quin & corrupto pravis moribus iudicio, ne quidem recte inter honesta & turpia discernere valeant, nec nisi lege coacti ad ea, quae virtutis sunt, animum adjungant. Quod sub finem Ethicorum disertè exposuit Philosophus, cuius omnia memorare verba quia longum esset, pauca nobis sufficiant: *Ad haec & omnino ad omnem vitam opus legibus est: plerique enim necessitati potius, quam rationi; & multis, quam honestati obediunt.*

Libr. x.  
Eth. cap.  
ult.

XXXIII. Quid? quod nec in ijs, quae ad disciplinam Reipublicae accommodatam spectant, leges rectae rationi quicquam derogant; multo minus aliquid, quod naturam iubente necessarium est, pro suo venditant. Ut plurimum enim ea, quae natura iussit, praefractariorum gratiam repetunt, ita tamen, ut quaedam differentias prorsus arbitrarias addant, aut saltim praemia, quae & ipsa arbitratui humano commisit natura, obsequentibus proponant. Verbi gratia: cum Reipublicae ab hostibus defensionem leges iubent civiles, non tantum repetunt aliquid, quod iam tum iubente natura necessarium est, sed & quando modum vigiliarum agendarum ad muros, aut faciendi in hostes impetus, nec minus loci, temporis aliasque circumstantias; summam verò ut dicamus, suum cuique munus adsignant, particulares differentias, non nisi humano arbitratui in acceptis referendas, addunt. Eandem rem declarant multi lege Ecclesiastica, quae statim die jejulare, aut a certo ciborum genere abstinere iubet: vitae enim iubente naturam moderatè & temperanter agenda praescribit illa lex aliquid, quod merè arbitrarium esse patet. Addimus & hoc: lege sanciri aliquid liberè, quod postquam sancitum est, ipsam iubente naturam, sit necessarium. Verbi gratia: quarundam rerum pretia, nisi ex indigentia sint aestimanda, arbitratu suo aestimant conjuncti societate mortales. Quibus lege sancitis non modò standum est, quod lex jubeat humana; sed quia nec natura permittit, ut quis rem vendat  
suam



suam carius, quam vendunt cæteri; aut pretium pro re emta  
persolvat vilius, quam persolvi ab alijs solitum; injuriam  
quippè aliàs facturis alteri, quicum contrahit, nec servatu-  
rus æqualitatem, quam servari in contractibus natura jubet.

XX. XIV. De actibus virtutum cum res, nostro quidem  
judicio, fermè sit expedita, majorem difficultatem sententiæ  
nostræ inde metuimus, quòd leges civiles etiam actus vitio-  
rum prohibeant, quos quamobrem indifferentibus accen-  
seri rebus oporteat, non abs re dubitare subit. Alia sanè  
honestorum, alia turpium est ratio. Illorum multa, quem-  
admodum non sunt illicita, ita nec per se debitis in rebus seu  
fieri necessarijs haberi possunt. Neq; enim omnia, quæ aliàs  
honestas sunt seu in genere morum bona, natura jussit: quin  
imò quædam vetari non permittit modò, sed gravis si causa  
urgeat, etiam suadet; tantum sanè abest, ut omnia jubeat.  
Non præter rem sunt, quorum legendorum hinc copiam  
facimus, Soarij verba: *Actus bonus ex obiecto qui potest per se*  
*& propter se honestè fieri, seclusâ lege prohibente: nihilominus potest*  
*prohiberi per humanam legem etiam civilem, & fieri malus ratione*  
*prohibitionis, qui aliàs de se erat bonus.* Verbi gratiâ: *Donatio*  
*liberalis de se bonâ est, & nihilominus potest ex instâ causâ per legem*  
*civilem prohiberi, & fieri mala, solum, quia prohibita.* At quæcun-  
que reverâ turpia sunt seu in genere morum mala, ea quin &  
ipsâ vetante naturâ in illicitis sint habenda, dubium est for-  
tassè nullum. Alieniora itaq; sunt ab indifferentium natura,  
quàm ut æquè ac illa legibus humanis tam præcipi quàm ve-  
tari possint.

XXXV. Fortasse tamen ad alia indifferenter se habent,  
nimirum ad punitionem & permissionem, ad hanc & illâ pu-  
nitionis speciem. Etsi enim omnia, quæ natura vetuit, quo-  
cumq; nomine turpia veniant, si patrata fuerint, puniri me-  
rentur: omnia tamen in civitate puniri natura non modò  
non jubet, sed & quædam non puniendâ suadet, ne improbi  
mortales, si nihil illis impunè liceat, in scelera nefaria & ma-  
ximè detestanda ruant. Quæ autem puniendâ sunt à Magi-  
stratu civili, ea maximam partem ad pœnæ speciem indiffe-  
renter

Lib. III. de  
Reg. c. XII.



reter se habent. Quam enim cuique pœnam pro ratione delicti, quod commisit, proque boni publici exigentiâ, irrogari fas sit, natura non tam determinavit, quàm arbitratui humano concedidit.

XXXVI. Simplex autem malorum actuum vetatio, cui non adjecta est pœnæ humano arbitratu determinatæ comminatio, legis non civilis, sed naturæ actus est, licet iterari à magistratu civili possit. An verò dicendum, esse quædam indifferentia κατ' ἀδραστηρίαν, seu ex opinione hominum? Multa enim turpia sunt, quæ tamen homines in turpibus non habent, imprimis si mali sint, & explendis animi libidinibus dediti, quorum maximam partem civitates alunt.

XXXVII. An & hîc distinctione utendum? Nimirum quæ turpia sunt, ad duo reduci genera possunt. Quædam ex terminis, aut per necessariam & evidentem consequentiam turpia esse omnes, quorum sana est, & benè sibi constat ratio, naturali lumine cognoscunt, ut furtum, homicidium. Pertinent huc omnia, quæ ipso nomine pravitatem implicare dicit Philosophus, cuius non indigna sunt, quæ hîc legantur, verba: *Nonnulli sunt adfectus, qui statim vel ipso nomine cum pravitate implicantur, ut malevolentia, impudentia, invidia: itemque actiones, ut adulterium, furtum, homicidium. Omnia enim hæc, & huiusmodi ita appellantur, quia non excessus ipsorum aut defectus, sed ipsa mala sunt, ut nullo modo possit quispiam in ipsis rectè agere, sed peccare semper necesse sit: neque bene aut non bene se gerat, dum quatenus & quando, & quomodo oportet, adulterium committit, sed dum absolute unumquodque horum facit, continuo peccat.* Quicquid igitur horum fuerit; lege positivâ ut prohibeatur, necesse non est, cum in turpibus esse naturalis dicitur ratio.

Lib. II.  
Eth. c. VI.

XXXVIII. Quædam verò an turpia sint, apud multos in dubitationem veniunt, eò quòd non cuivis evidens sit, an pro his vel illis circumstantijs turpitudinem & malitiam incurrant. Etenim qui in genere novit, actus intemperantiæ esse illicitos, non statim, præsertim si adfectibus ducatur, sibi persuadet, hunc vel illum actum pro ijs, quibus substat, circumstantijs esse temperantiæ adversum. Unde contingit, ut  
quæ



quæ illicita sunt, cum non talia hominibus appareant, in indifferentibus deputentur. Hæc igitur determinanda, quoad salus Reip. postulare videatur; & legibus promulgatis prohibenda esse, nemo non intelligit. Quid? quod una circumstantia actum sæpè turpiorem reddit, quàm altera. Ne itaque nihil interesse putes, Magistratum an plebejum, sponte an invitè, ex electione an vehementiore animi perturbatione aliquè verberes; lex te discrimen doceat necesse est, subque unâ circumstantiâ actum turpem magis, quàm sub alia, prohibeat.

XXXIX. Cæterum quæ ex opinione hominum indifferentia appellamus, si reverà turpia sint & prava; ea verò reapse nihil minus sunt, quàm indifferentia: quemadmodum nec continuo bona sunt, quæ improbis bona esse videntur, si aliàs sunt mala. Iterandi tamen ea, quæ natura vetuit, deq; integro vetandi occasio, imò &urgens causa censenda est præconcepta de illis indifferentiæ opinio, si qua hominum animis insedit. Et quanquam leges non conduntur novæ, cum repetuntur ea, quæ natura vetuit: ex voluntate tamen & jussu majestatis nova obligandi ratio ijs accedit, ut vel duplici nomine ejusmodi legibus sit parendum. Nescimus, an & ea institutis quodammodo humanis sint adscribenda, quæ natura eò vetat, quòd homines liberè aliud quid fancierint: absque quo si esset, non vetaret. Postquam enim, ut exemplo rem declarem, jure humano introducta est & singulis concessa bonorum privatim possidendorum potestas, contrafectionem alterius bonorum vetat nunc natura, aliàs non vetatura, si esset inter homines bonorum communio. Quanquam igitur, ipsâ vetante naturâ, furtum est illicitum: humana tamen constitutio naturæ occasionem præbuit, vel aliquid, sine quo furtum non esset, suppeditavit. Sed hoc *ὡς ἐν παράδειγμα* monere placuit.

XL. Tantum est de objectis legum civilium secundum se spectatis: quæ quomodo indifferentia sint, id verò satis, nisi fallimur, explanatum dedimus, convenienter nostro quidem instituto. Neque enim aliàs ignoramus; cum de ijs, quæ sub actionem cadunt, est sermo, ea ut plurimum indiffe-

D

rentia



rentia appellari, quæ per se neque bona sunt in genere morum, neque mala. Cujusmodi sunt adfectus animi pariter ac actiones, circa quas vitia versantur & virtutes. Prius enim, quam circumstantiarum decentium aut indecentium beneficiò in excessum vel defectum vel mediocritatem abeant, nihil neque honestatis, neque turpitudinis habent. Quod si, hac tantum ratione indifferentia essent illa, de quibus leges ferri solent civiles; exclusos hinc esse oporteret vitiorum juxta ac virtutum actus: id quod tum à veritate, tum à mente nostralongè alienissimum esse, hactenus patuit. Patuit & id verò, legum civilium objecta nobis idèò imprimis indifferentia dici, quòd per se neque debita sint neque illicita: quæ alia est, nec parùm à priore diversa, vocis istius notio. Vnam tamen non magis, quàm alteram, scholæ probabunt Philosophicæ, indifferentis quippè appellantes omne id, quod non est determinatum ad alterutrum oppositorum, sed utrumque æquè respicit & indiscriminatim admittit. Sicut autem ibi opposita sunt, bonum & malum, honestum & turpe: ita hîc; debitum & illicitum, justum & vetitum. Vtrorumque igitur respectu rectè aliquid indifferentis appellabitur.

XLII. Caterùm (ut ad alia progrediamur) magnam subeunt mutationem, quæ legibus sciscuntur humanis. Cum enim suapte naturâ nec debita sint, nec illicita: hoc tamen ipso, quòd legibus jubentur, in debita; quòd illis vetantur, in illicita transeunt, indifferentiamque suam deponunt. Quod usque adeò verum est, ut quæcunque lex rebus indifferentibus, quas præcipit aut vetat, nullam neque exercitij neque omissionis necessitatem impartiri valet; nihil illa verò minùs, quàm lex sit, utpote cui formalem legis rationem deesse, inde rectè colligas. Vnde autem accersenda sit formalis ratio legis, cum nondum explicatum sit, explicare nunc aggredimur.

XLIII. Etsi omnis lex civilis est ratio imperativa, in quæ aliquo, quod indifferentis est aut esse videtur, præcipiendo vel vetando est occupata: latiora tamen hæc sunt prædicata, quàm



quàm ut essentiam legis adæquatè constituent & absolvar. quandoquidem à patrefamiliâs, à Domino, nec non ab alijs, qui habent, quibus imperent, multas orationes imperativas, easque de re aliâs indifferenti usurpari compertum est, quas tamen inter leges civiles nemo retulerit. Aliud igitur, idque altius subesse principium oportet, unde imperativæ orationi valor accedat. Possit hoc videri esse consuetudo, & eò magis, quòd Philosophus scribit: *Lex nullam habet vim, ut ei pareatur, nisi ex consuetudine.* Verùm enimverò etsi magna vis in consuetudine sita est, ut qui legibus obstricti sunt, eò promptiùs ijs obsequantur, quòd obsequi jam adsueverint: ea tamen non est primum principium & causa per se, unde oratio imperativa vim legis adipiscatur. Quin potius oportet legem priùs constitutâ esse & planè perfectum, quàm fieri possit, ut qui sunt in civitate, ei parere adsuescant.

Lib. II.  
Pol. c. IIX.

XLIV. Propiores veritati dubio procul accedunt, qui hoc quicquid est negotij, ad legislatorem devolvunt, ab eodem rati legem confirmari, à quo possit ferri. Veremur autem, ne qua subsit æquivocatio. Aliquando enim, nec minùs propriè, legislator is dicitur, qui cùm prudentiâ legislatoriâ sit instructus, juxta ejus regulas legem Reipubl. accommodam invenit, vel potius materiam ejus seu objectum, quemadmodum poscit status Reipublicæ, recto & prudenti judicio definit. Quæ definitio nihil minùs, quàm lex est, nisi aliud principium à tergo stans ei vim legis impertiat. Alio autem significatu legislatorem appellamus, quasi legis firmatorem, qui legem ratam esse jubendo efficit, ut ea sit lex, legisque vim exferat, sive eam quoque invenerit; sive ab alio legum ferendarum magis perito inventam saltim approbârit. Qui quisquis est, quâ potestate nixus legem sic firmet, dici à nobis nunc oportet.

XLV. In omni Republica est *πολίτευμα, τὸ κῆριον πανταχῶς*, Lib. III.  
ut Aristoteles circumscribit, id puta, quod vulgò majestas Pol. c. VI.  
appellatur, cui Respubl. omnem administrationem debet, ut  
sicuti Deus causa simpliciter prima totius universi est, ita in  
genere rerum Rempublicam ejusque gubernationem con-  
cer-





Ernentium causam primam esse Majestatem oporteat. Neq;  
dubitandum, quin eadem sit causa prima, unde leges ci-  
viles proficiscantur: quandoquidem qui adeptus est maje-  
statem, cum omnia possidet jura; tum imprimis potestatem  
condendarum & abrogandarum legum rectè sibi adsumit,  
atque effectu haud irritò usurpat. Usurpat autem, quando  
voluntatem habet obligandi ad aliquid agendum vel omit-  
tendum subditos, eamque oratione imperativâ edicendam  
curat. Hinc fit, ut actu lex constituatur, non aliâ extante  
causâ, quam voluntate Majestatis, cui vis & constitutio legis  
in acceptis sit referenda.

XLVI. Negaverit quis adfertum, tali nixus argumen-  
to: *Quocunq; posito, lex non constituitur nisi aliud quid etiam ponatur, id non est causa legis adequata: Atqui posita voluntate maie-  
statis, lex non constituitur, nisi aliud quid etiam ponatur. Ergò. Mino-  
rem ipsimet concedere debemus, qui legem formaliter ora-  
tionem esse tuemur. Ex hoc enim conficitur, si vel maximè  
majestas aliquid fieri aut omitti velit, non tamen prius legem  
esse latam, quam adhibeatur oratio, quæ voluntatem maje-  
statis denunciât. Verùm enimverò ut taceamus, volunta-  
tem Majestatis non uno modo considerari posse, nolimus  
commisceri diversa causarum genera. In genere causarum  
efficientium primam & adequatam causam legis civilis esse  
Majestatem, negari nequit. Vbi enim summa est potestas,  
inde quoque primum legis constituendæ principium esse re-  
ctè concludimus. Et si qui alij præter Majestatem sint, qui  
sive consilio sive alio modo quicquam ad legis constitutio-  
nem conferant, singuli à Majestate dependent, cujus quippè  
voluntatem & jussa isthoc in negotio exequentur. Nec de-  
sunt causæ, quæ Majestatem inducant, ut missâ ad subditorum  
aures oratione imperativa, legem hanc vel illam ijs ferat &  
imponat. Cæterùm quicquid sit de istiusmodi causarum ge-  
nere: id saltim in controversiam nunc venit, an voluntas Ma-  
jestatis sit ipsa forma legis civilis, hoc est, illa causa, qua lex  
constituatur, & constituta in esse suo perseveret.*

XLVII. Con-



**XLVII.** Constat autem, formam aliquando appellari totam rei essentiam, quæ definitione exprimitur. Quâ vocis notione ipsimet negamus, formam legis esse voluntatem Majestatis. Solâ enim hâc positâ, adhuc deest aliquid, quod ad legis essentiam pertinet, scilicet oratio voluntatem Majestatis denunciâns: id quod argumentum nobis oppositum rectè evincit. Aliàs & frequentius formam appellamus, quæ aliquam materiam informat, cumque ea unum sive per se sive per accidens constituit. Quanquam autem lex civilis ex materia & forma non constat, aliquid tamen utrique analogon in ea concipi datur. Quemadmodum enim materia ad recipiendas diversæ speciei formas; ita oratio imperativa ad hoc, ut lex civilis sit vel non sit, apta æquè nata est, & indifferenter se habet: quamobrem rectè materiale legis civilis appellabitur. Formale autem, unde oratio imperativa legis civilis essentiam acquirat, aliunde accersi nequit, nisi ab eo, cui conformatur. Quod quin sit Majestatis voluntas, nulli dubitamus.

**XLIX.** At enim id, inquis, cui conformatur oratio imperativa, est objectum, quod repræsentat. Cum itaque superius dictum & prolixè declaratum sit, objectum legis civilis esse rem indifferentem, quæ sub nostram cadit actionem: quâ itaque fieri potest, ut etiam voluntas Majestatis ejus sit objectum? Ad quod respondemus, rem indifferentem esse objectum legis civilis, quatenus voluntate Majestatis est determinata, ut sic vel aliter fieri omittive debeat: ut ita voluntas Majestatis sit quasi formalis ratio, sub qua lex civilis objectum suum præcipit vel vetat. Nam cum lex aliqua promulgatur, subditi eâ auditâ & perceptâ vix alium sibi conceptum formant, quàm velle Majestatem, ut quod isthæ oratio proponit, fieri omittive debeat. Quod si ita est, etiam voluntas Majestatis suo modo ad objectum legis civilis pertinet, non quidem, ut res quæ jubetur, vel prohibetur; sed ut ratio, sub qua & propter quam aliquid jubetur vel prohibetur. Id quod leges civiles à naturalibus differunt. Naturales enim leges, quia in reb<sup>9</sup> per se debitis vel illicitis occupan-

D 3

tur,



tur, intellectum non determinant ad concipiendam superioris voluntatem, unde necessitatem sibi acquirant, ut: *Deus est colendus; parentes sunt honorandi: suum cuique tribuendum.* Necessitas enim horum vel ex terminis evidentissimè innoscit, quam quippè non voluntas humana fecit, sed fundavit ipsa rerum natura. At verò leges civiles quia indifferentia, nec ut talia, sed ut agenda vel fugienda proponunt, intellectum inducunt ad concipiendam superioris voluntatem, cui satisfieri oporteat. Quæ non inventæ, falsæ sunt hæ & id genus aliæ propositiones: *septem testes adhibendi sunt ad testamentum: nemini committendus est Magistratus, nisi qui decem annos à mercatura destiterit:* quia in rebus indifferentibus proponunt necessitatem, quam seclusâ superioris voluntate in illis non reperias. Quemadmodum itaque ea vera lex naturalis est, quæ per se debita vel illicita non aliter dicitur, quàm natura eorû exigat: ita ea vera lex civilis est, quæ indifferentia nõ aliter ac voluntate Majestatis determinata sunt, manifestat.

De Categ.  
c. XII.

Lib. IX.  
Met c. X.

XLIX. Cujus rei explicationem desideranti clariorem, non ingratum fore existimamus, si exposuerimus, quomodo suum ad objectum, quod repræsentat, habeat se quævis vera oratio. Aristoteles inter objectum & veram de eâ orationem agnoscit reciprocam consequentiam, sic tamen, ut unum sit alterius causa, adeoque eò prius naturâ, quod in postprædicamentis sequenti declarat exemplo: *Si homo est, vera est oratio, qua dicimus, hominem esse; & reciprocatur, quia si vera est oratio, qua dicimus, hominem esse, homo est.* Vtrum autem sit causa alterius, alteroque natura prius, verba immediatè ibi subjecta loquuntur, quæ & ipsa adscribimus: *Vera autem oratio nequaquam est causa, cur res sit: sed constat, rem quodammodo causam esse, cur vera sit oratio: nam quia res est, vel non est, oratio dicitur vera & falsa.* Quibus gemina sunt, quæ in Metaphysicis hac super re leguntur, verba: *Non propterea quòd nos verè putamus, Te album esse, tu albus es; Sed propterea quòd Tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus.*

L. Sanè nec aliam deprehendas habitudinem inter orationem imperativam, quæ lex civilis est; & inter voluntatem  
Maje-



Majestatis, cui est conformis. Primum inter hæc duo reciprocam esse consequentiam, nemo non animadvertit. Si enim hoc vel illud fieri omnittivè vult Majestas, vera lex civilis est oratio, quæ tale quid agendum vel omnittendum esse significat: vice versâ si oratio, quæ tale quid agendum vel omnittendum esse significat, est vera lex civilis, idem fieri omnittivè vult Majestas. Deinceps quærenti, quamobrem hæc vel illa oratio imperativa sit reverà lex, alia reddi causa nequit, quam quia Majestas fieri vel omnitti vult idem, quod oratio præcipit aut vetat.

LI. Quanquã igitur lex civilis nõ ipsa Majestatis voluntas est, sed oratio imperativa: illa tamen sola causa est, quamobrè hæc vim legis obtineat. Nec minùs constat, si ad certũ causæ genus reduci debeat, esse analogon quid illi causæ, quæ dat esse rei, hoc est, formæ. Forma aliàs, quæ compositum constituit, non priùs est actu causa ejus, quàm sit unita materiæ: quam unionẽ in scholis formæ causalitatem appellant. Ad eundem modum, quantum hîc quidem analogia patitur, Majestatis voluntas non priùs actu se legis causam præbet formalem, quã oratione imperativâ, qualis est, talis omninò sit expressa. Conformitas itaque orationis imperativæ cum voluntate Majestatis, seu hujus per illã expressio, habet se ut causalitas, quã Majestatis volùtas actu legẽ constituit, nec constituit tantum, sed & constitutam in esse suo tamdiu conservat, quamdiu non revocatur, licet physicè ne quidẽ ipsa permaneat. Ex quo efficitur, si qua gravi de causa Majestas suam voluntatem retractãrit, orationem imperativam vi legis fore destitutam, non aliã de causã, quàm quòd tũ voluntati Majestatis non amplius sit conformis. Quamobrem leges civiles in suum ordinem haudquaquam recipiunt istas orationes imperativas, quæ autã voluntate Majestatis discrepant, aut alterius, quàm Majestatis, voluntatem denunciant.

LII. Desideranti nunc brevem, adæquatam tamen & à priori petitam legis civilis definitionem, rei faciamus periculum, an hæc, quæ ex thesibus nostris sponte prodit, satis sit factura: *Lex civilis est oratio, imperans, quid fieri in civitate, quid dñe*  
omitti



omitti debeat, conformis voluntati Majestatis. Signanter autem ad-  
jectum puta, *In civitate*: ne lex civilis esse existimetur quævis  
oratio imperativa, quæ voluntati Majestatis est conformis.  
Contingit enim, ut Majestas servis aut ministris, vel uni sub-  
ditorum atque alteri saltem aliquid præcipiat, fortè nec per-  
severanter, sed hoc vel illo tantum tempore fieri velit. Vbi si  
oratio adhibeatur imperativa, licet voluntati Majestatis sit  
conformis, lex tamen civilis minimè est, quia nihil eorum  
proponit, quibus constanter servandis ipsam quidem ad-  
stringi videas Civitatem.

LIII. Non fortasse deest, cur data definitio vel hoc no-  
mine defectus alicujus argui possit, quod quale objectum le-  
gis civilis sit, resne indifferens an necessaria, non exprimit:  
sine quo tamen essentia legis civilis non magis, quam homo  
sine anima constat. Quin imò in objecto positum esse discrimen,  
quo leges civiles à naturalibus separentur, superius vel  
ipsi fatebamur. Verum enimverò Voluntas Majestatis, cui  
oratio imperativa conformatur, hinc non tantum significat  
actum volendi, sed & objectum fieri vel omitti volitum con-  
notat. Atque hinc oratio imperativa, cum conformis esse  
dicitur voluntati Majestatis, ea representare intelligitur,  
quæ Majestas suo arbitratu vult fieri vel omitti. Ea verò per se  
indifferentia esse, quid opus est expresso dici verbo? Majesta-  
ti sanè non nisi in ijs, quæ indifferentia sunt, libera præcipi-  
endi & vetandi potestas est permessa. Quicquid igitur libe-  
rè vult, ita quidem, ut si lubeat, absque peccato possit non  
velle, vel velle contrarium: id suapte naturâ indifferens quid  
esse, nemo non intelligit.

LIV. At enim ea etiam, quæ per se debita sunt, fieri; &  
quæ per se illicita sunt, omitti à subditis vult & postulat Ma-  
jestas. Orationi igitur hanc Majestatis voluntatem expri-  
menti, quid vetat, rectè tribui datam legis civilis definitio-  
nem? Sanè vetat diversa voluntatis consideratio. Non e-  
nim voluntas Majestatis hinc attenditur ratione cujusvis, cir-  
ca quod versatur: sed potiùs consideratione ejus, quod cum  
suapte naturâ non sit determinatum, ipsa ad alterutrum op-  
posi-



positorum determinavit: ut ita oratio imperativa non alia de causa dicatur voluntati Majestatis conformis, quam quod ea proponat, quæ à voluntate Majestatis alterutram in partem sint determinata. Quæ verò per se debita vel illicita sint, cum suapte naturâ sint definita, arbitrariam voluntatis determinationem respuunt. Quamobrem si vel maximè Majestas talia etiam jubeat aut vetet, non tamen ut suæ voluntati, sed ut naturæ, cujus instituta repetit; conformia imperat & urget. Atque hinc oratio imperativa iterandis naturæ institutis adhibita, utut à Majestate ad subditos ablegetur, non tam voluntati ejus, quam naturæ, cui nec Majestatis voluntas adversari debet, censenda est conformis.

L V. Vt cunque autem propositæ definitioni sua stare videatur integritas, causam quis à nobis requisierit, quamobrem, missis definitionibus ab Aristotele traditis, novam cudamus. Ita autem Philosophus sub finem librorum Nicomachiorum legem describit: ὁ νόμος ἀναγκαστικὴ ἔχει δύναμιν, λόγος ὢν ἀπὸ τῆς φρονήσεως καὶ νῦν. *lex cogendi habet vim, oratio existens à prudentia aliqua & mente profecta.* In Rhetoricis ad Alexandrum scriptis cum plures reperiantur definitiones, tum statim in principio hæc, quæ instar omnium sit, oculos incurrit: ὁ νόμος δὲ λόγος ὁρμητικὸς καὶ ὁμολογία κοινὴ πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστος. *Lex est oratio, quæ communi civitatis consensu definita iubet, quo pacto unumquodque agendum sit.* Alias nunc tacemus.

Lib. x. Eth.  
c. ult.

Lib. 1.  
Rhet. ad  
Alex. c. 1.

LVI. De hisce definitionibus ut nostrum qualecunque judicium aperiamus, unam à posteriori petitam, nimirum à vi coactiva, quæ legis consequens est, idque ex hypothesi tantum, si qui sint refractarij, qui legi obsequium detrectarint; alteram autem à priori quidem desumptam, at non legi civili in sua latitudine, sed legi in Democratia receptæ accommodatam esse pronunciamus. Idque satis causæ est, cur aliam dari definitionem oportuerit, quando quidem lex civilis à priore & in sua omnimoda latitudine definienda erat.

E

LVIJ. Non





L VII. Non tamen inficias imus, exiguâ mutatione factâ, posteriorem definitionem fore æquè generalem, ac nostram: nimirum si pro *communis civitatis consensu* substituta fuerit *Majestatis voluntas*, quæ quippè tam latè patet, ut etiam communem civitatis consensum, cui lex in democratia suum valorem debet, ambitu suo comprehendat. Quemadmodum enim Majestas est indifferens ad hoc, ut sit penes unum, vel plures, vel omnes, qui sunt in civitate, junctim sumtos: ita & voluntas Majestatis, secundum se si spectetur, abstracta est à voluntate & unius & plurium, & omnium junctim acceptorum. Democratiam si spectes, Voluntas Majestatis est communis civitatis consensus, quia pro tali Republicæ statu summa potestas penes totam civitatem residet: si Aristocratiam; est optimatum; si Oligarchiam; est divitum consensus & unanimitas: si absolutum regnum vel principatum; est unius, Regis scilicet vel absoluti principis serâ, cumq; intentione obliganti conjuncta, voluntas. Patet itaque, differentias hæc non nisi ex diversis manare Rerum publicarum formis.

L I I X. Explicatâ legis civilis quidditate & essentiâ, quid inter eam & jus legitimum intersit, si coronidis loco declaremus, operæ facturi videmur pretium. Ita autem jus legitimum definit Philosophus: *ὅ ἐξ ἀρχῆς ἢ ἐξ ἄλλου ἀναγκαῖον*, *ἢ ἄλλως ὅταν δὲ ἰσχύει, ἀναγκαῖον*: *Quod ab initio, utrum hoc an alio modo fiat, nihil refert; ubi verò fuerit constitutum, refert.* Quæ definitio tam accurata est, ut nihil in ea desiderari; tamque plana, ut absque ulla declaratione à quovis intelligi possit. Cùm enim in jure legitimo sint duo attendenda, materiale & formale: utrumque isthac definitione verbis quàm maximè perspicuis declarari videas. Materiale est res indifferens, hoc est, id quod ab initio, utrum hoc an alio modo fiat, nihil refert. Idem hoc legum civilium objectum esse vidimus. Formale est constitutio humana, quæ à voluntate Majestatis proficiscitur, & oratione imperativâ subditis insinuata jus actu constituit: ut quod antè indifferens erat, illius vel solius vi juris rationem participet.

LIX. Ex



LIX. Ex quibus, si dicendum, quod res est, colligimus, legem civilem & jus legitimum non nisi solo significanti modo differre. Ius enim in casu recto significat, quicquid Majestas fieri vult vel omitti; & quæ legitimum dicitur, in obliquo connotat legem tanquam orationem, qua voluntas Majestatis innotescit. Eadem hæc etiam lex in suo conceptu includit, diverso sed modo. In casu enim recto orationem imperativam; in obliquo autem, quicquid Majestas fieri vult vel omitti (hoc enim oratione imperativâ exprimi jam antè dictum est) lex positiva & ea hîc civilis significat. Quod cum exiguum sit discrimen, non obstat, quò minus lex civilis & jus legitimum promiscuè usurpari possint, quemadmodum nec usus aliud suadet. Id autem, nisi ex dictis perspicuum est, moneri oportet, locutos nos esse de jure legitimo, quod legibus civilibus strictè sic dictis est sancitum. Alioquin enim negari nequit, definitionem juris legitimi, quam ab Aristotele accepimus, esse tam generalem, ut accommodari possit cuivis juri positivo seu arbitrario, sive legibus civilibus, sive Ecclesiasticis, sive etiam divinis, quæ quidem in rebus indifferentibus occupantur, sit comprehensum. Quod vel verbò monuisse sufficiat. Tantum est de essentia legis civilis. Quæ, volente Deo, subsequetur disputatio, finem & effectum, fortassis & variantes quasdam legum civilium differentias exhibebit.

## COROLLARIA.

- I. *Formalis ratio civis est ἐξουσία κοινῶν ἐν δέχῃς βαλευπικῆς, ἢ κερικῆς.* Lib. III. Pol. c. I.
- II. *Fundamentum seu id, propter quod illa ἐξουσία alicui competit, pro varietate status Reipublicæ varium est. Si Aristocratiam spectas,* Ibid. c. v



Etas, in virtute; sin oligarchiam; in divitiis aut nobilitate generis; sin democratiã; in ipsa libertate consistit. Unde in illa viri boni & virtute prediti; in ista divites aut nobiles; in hac omnes promiscuè cives audiunt.

Cap. IV.

Cap. I.

III. Describi civis ita potest: Civis est persona liberis hominibus sociata, habilis ad capessendum inter eos Magistratum deliberativum vel iudicarium.


IV. Si Monarchiam excipias, ceteras Rerum publicarum formas non tam imperantium numerus, quàm illud *δικαιον* seu ius, quod est fundamentum constituta Republica, distinguit. Describuntur tamen ab imperantium numero, atque inde quadam nomen sortiuntur suum, quia plerumq; in civitate tot sunt numero, qui eiusmodi ius pretendere possunt. Ut in Oligarchia ius imperandi ex divitiis nascitur aut nobilitate generis: at ferè nunquã nō pauciores sunt divites & nobiles, quàm pauperes & plebeii: in democratia ex libertate; at ibi omnes ex plebe libertatem iactant.

F I N I S.














37

Σὺν Θεῶ.  
DE  
**LEGE CIVILI**  
DISPUTATIO PRIMA,  
*QVAM*  
Auctoritate & indultu Amplissimi Senatus Philosophici,  
IN ACADEMIA IVLIA  
PRAESIDE  
**M. PETRO MVSÆO**  
Longoprat. Thuringo,  
*publico examini subiicit*  
**CASPARVS MVSEOLF**  
Brunsvicensis.  
IN NOVO IVLEO MAIORI  
HORIS CONSVETIS  
*IIIX. Id. Novembr.*  
  
**HELMESTADI,**  
**Typis HENNINGI MVLLERI,**  
Anno MDCCXLVII

